



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

2. Tripliciter Deus est principium creaturarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

N. 2. Quomodo via Angelorum absoluta sit daobus instantibus vel operationibus; & post primum immediate, perseverantes in bono ad terminum beatitudinis pervenerint, mali e contra ad damnationem. Qualiter etiam suafore Lucifero mali peccarint superbiâ, quâ non voluerunt Dei imperio subesse, consequenter odio et invidiâ ob dominium Dei, & exaltationem naturæ humanæ: E contra boni meruerint: actibus bonis Duce Michaële, unde prælium illud spirituale ortum, de quo Apoc. 12. lege vel apud Valent. vel alios.

## SYMBOLUM 2.

*Tripliciter Deus est principium creaturarum potentiâ, sapientiâ, bonitate.*

**C**uncta potens Trias e nihili secrevit abyfso,  
Cujus inexhaustâ fons Bonitate fluit.  
Ideâ, quem mente gerit mox explicat, orbem,  
Et patet Artificis tam sapientis opus.  
Hoc infinitâ quâ condidit arte gubernat,  
Et tua quò rectè mens operetur, agit.

N. Gen 1. habetur: dixitque Deus &c. Et facti sunt. Dixit ergo, dum euncta creavit, id est, in mente concepit, voluit decrevit & imperavit Deus, puta ipsa SSS. Trinitas, & facta sunt, Dei enim velle est facere, inquit Athan. ferm. 3. cont. Ari. Appropriatur tamen vox *dixit* Filio. Unde scriptura per Filium quasi per Verbum omnia esse condita sape dicit, quia nimirum Filius est notionale & propriè dictum Verbum, & consequenter ipsi appropriatur sapientia, ars, idea; sicuti Patri potentia, Spiritui S. bonitas attribuitur. Unde nomen principij in divinis sumitur & personaliter, & essentialiter. Nam & Pater est principium Filij & Spiritus S. & Deus est principium creaturarum.

## SYMBOLUM 3.

*Tripliciter Deus est ubique juxta illud:*

*Enter, præfenter, Deus est & ubique potenter.*

**R**egnat ubique Trias: suprema est Regia cœlo,  
Possidet unâ undas jura dat Una stygi.

*Quanta*